



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvtae, Sive Considerationes Piaae, Praecipuam
Spiritualis Vitae Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

263. feria 5. de Clementia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

470 *Feria 4. Domin. 13. post Pentecost.*
sed probat, an ex Deo sit, 12. Ubi timendum,
timet, ubi nil formidinis, audet, nec omnia
bona, sed statui congrua præsumit. 13. Opi-
miones vulgi contemnit, & dicta trepidorū:
& solūm Dei beneplacitum conscientia at-
testationem, & bonorum approbationem
requirit. 14. Nec omnia credit, nec omnia
discredit, sed quæcunque se offerunt, ex præ-
scripto rationis iudicat. 15. In aestimatione
rerum externâ specie non fallitur, sed intima
penetrare conatur. 16. Non est facilis in cre-
dendo, ne sit levis, nec in concedendo, ne
pœniteat, nec in iudicando, ne erret, nec in
promittendo, ne fallat, nec in conversando,
ne sit occasio contemptūs, nec in irascendo,
nam id insanix est indicium.

MEDITATIO CCLXIII.

Feria 5. Domin. 13. post Pentecost.

De Clementia.

Videbo Dominum IESVM super ingra-
tos & malos beneficia clementissimè
pluentem, Luc. 6. Petam eum imitari.

Conf. 1. Clementia est virtus, quâ ad mo-
deratè puniendum mitescimus, & pœnas in-
figendas delinquentibus moderamur.

Conf. 2. Incitamenta ejus: 1. Deus magna
flagitia hominum minoribus castigationsi-
bus punit. 2. Christus Dominus nescivit ab
ullo

Feria 5. Domin. 13. post Pentecost. 471

ullo vindictam sumere, sed debitoribus, inò & inimicis ignoscere, adulteram accusatam absolvit: reis pœnitentiam suavit. Mulierem in civitate peccatricem pœnitentem suscepit. Clemens erga nolentes se recipere, contra tentantes se, erga negantem se Petrum, derelictus ab omnibus Discipulis in Passione, hanc injuriam à Resurrectione nunquam ijs objecit. 3. Fragilitas humana, ignorantia, passio, vis: ad peccatum impellentia elevant malitiam.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Pœnas debitas moderatè remittere. 2. Defectus non nimis enormes interdum dissimulare. 3. Severitate uti in homines procaces, & malignos, qui aliter in officio non possunt contineri. Ita Christus flagello eiciebat è templo.

MEDITATIO CCLIV.

Feria 6. Domin. 13. post Pentecost.

De Constantia.

Videbo D. JESVM præeligentem perdere vitam, quàm in semel cœpto virtutum cursu constantiam. Peram eum imitari.

Conf. 1. Constantia est virtus, quâ bonorum operum impedimenta, sive ex cordis mobilitate, sive ex causis extrinsecis provenientia superamus, & in bono stabiliter permanemus.

Conf.